

65 rare non poterit requiem finemque paenarum. Sed huius
quidem vitae illicitae voluptates somniis similes umbrisque
transcurreunt. In quibus antequam peccato terminus
detur, delectatio cupiditatis exstinguitur. Illa vero suppli-
cia quae homines propter ista suscipiunt carent fine
70 tormenti. Et quod hic oblectare creditur temporale est,
quod autem illic cruciat et consumit aeternum. Quid
enim in hoc mundo stabile, quid perenne est? Credo
divitias quae nec usque ad vespertinas quidem horas
plerumque manserunt. Sed fortasse gloria saecularis?
75 Audi ergo cuiusdam venerabilis viri vocem. « Tempus
enim vitae meae levius cursoribus fit. » Ut enim illi
priusquam bene stent, iterum exsiliunt, ita et hoc evolat
antequam veniat. Sed nihil anima pretiosius, quod ne illi
quidem qui ad extremam insaniam deviaverunt ignora-
80 verunt. Sicut externi cuiusdam poetae sermo pronun-
tiat: « Nihil simile animae » reperire posse confirmans.
Nec ignoro quod infirmiolem te fecerit contra inimici
conflictum cessatio dimicandi. Scio quod in medio verse-
ris saecularium voluptatum, sed si adversario dictum
85 velis: Non servimus oblectationibus tuis, nec radicem
omnium adoramus malorum: si sustuleris ad caelum ocu-
los tuos, mox caliginem Dominus tetri ignis excutiet et
eos quidem qui te ad incendium compulerunt concremabit,
te autem in fornacis medio constitutum resperget rore
90 nebularem et sibilantis aurae spiritu aestuantia tibi corda
mulcebit. Ita ut nec ad cogitationem nec ad conscien-
tiam tuam vis ignis accedat, tantum ne requiescere
segnior velis et sponte vincaris. Nam et munitissimas
civitatum, cum saepe omnia obsidentium tela vicissent,